

No. 17. 1004. 5. März.

K. Heinrich II. stellt das aufgehobene Bisthum Merseburg wieder her und ordnet unter andern die Zurückgabe zweier widerrechtlich an Meissen gekommener Ortschaften im Gau Schutizi an das Stift Merseburg an.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Henricus divina favente clementia rex. Notum habeat totius orbis terrarum circulus et praecipue tam praesens fidelium nostrorum industria, quam eorum ex toto posteritas futura, qualiter pia in deum¹⁾ magni Ottonis imperatoris sollertia sanctam Merseburgensis ecclesiae sedem episcopii nomine in honore sancti Johannis baptistae sanctorumque Christi martyrum Laurentii ac Romani ex voti debito primitus ornavit, ordinatoque ibi pastore pervigili Bosone facultatibus et sumptibus necessariis locum pro tempore sublimavit, additis suo debitis servitio tam redditibus quam praediis, ut quae hic cum benedictione sibi temporaliter minuens spargeret, aeterna²⁾ coram deo lucrificatione recolligens meteret. Quibus de medio decedentibus³⁾ et Gisilhario episcopo succedente honorabile illud episcopii caput et nomen in abbatiam flebiliter commutatum in archiepiscopi Magdeburgensis servitium quorundam ut ita dicamus inconsiderata religione⁴⁾ usque ad nostra tempora transmigravit. Nos itaque divino ut credimus instinctu una cum dilectissima nobis coniuge et regnorum consorte Cunigunda praefatam sedem reparare volentes, mortuo Gisilhario episcopo votum effectum⁵⁾ complevimus institutoque ibidem venerabili de nostra capella praesule Wipperto omnia, quae quolibet modo ab antecessoribus nostris regibus et imperatoribus ibidem quondam tradita vel praeceptorum scriptis commendata aut aliquo modo inde fuerant abalienata recollegimus et sanctae sedi illi per hoc regiae maiestatis insigne confirmavimus. Unde vero et partem parochiae atque decimationem civitatum, quae Treben^{a)} et Tuchamuzi^{b)} vocantur, ab venerabili episcopo Cicensis ecclesiae Hildubarto cum tribus villis loco sibi competente collocatis et sub uno vocabulo Crozuwa^{c)} vocatis sua voluntate redimentes Merseburgensi ecclesiae restituimus. Praeter haec etiam duas villas in pago Schuzi et proprietates in episcopatu Merseburgensi sitas⁶⁾ nomine Wisseburg^{d)} et Lostataua⁷⁾e), quas praedictae destructor ecclesiae Gissillarius sine concambio et regalibus praeceptis Wolcoldo Misnensis ecclesiae episcopo sponte sua impotens concessit, regali iure nostro et potestate ad integrum Merseburgensis ecclesiae suis rectoribus cunctis remota omni molestia reddimus. Et ut haec nostra renovatio et confirmatio stabilis et inconversa⁸⁾ permaneat, hanc nostri praecepti paginam manu propria roboratam sigillo nostro imprimi iussimus.

Signum domni Henrici (L. M.) regis per Christum invictissimi.

Egilbertus cancellarius vice Willigisi archicapellani recognovi.

Dat. III. Non. Martii indictione prima anno incarnationis domini M. IIII., anno vero domni Henrici secundi regni II. Actum Walahuson.

Strauss de Rudolfo Suv. anticaesare p. 30 (Wegelin thes. rer. Suv. II. p. 186). — Lepsius Gesch. d. Bischöfe d. Hochst. Naumburg. I. S. 187.

1) iam dudum. 2) temp. in mundi spargeret arena. 3) discedentibus. 4) religio. 5) effectum. 6) pagos in ep. M. sitos S. 7) Lostatana (vgl. Thietmari chron. III. 9 oben S. 15). 8) inconcussa.
a) Treben an der Saale (vgl. S. 31). b) Taucha an d. Rippach, Kr. Weissenfels. c) Kretzscheh bei Zeitz mit Grotzsch und Grana (vgl. die Urk. vom 5. März 1004 bei Lepsius a. a. O. S. 185). d) unbekannt. e) Lastau bei Colditz.